

Bibliothèque numérique

medic@

**Yvelin, Pierre - candidat / Bourgeois,
Jean - président. - An ab esu leporum
venustas ?**

1633.

Paris

Cote : ms 76 n°788

QVÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBVS

MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM

DIE IOVIS DECIMA MARTII.

M. IOANNE BOVRGEOIS Doctore Medico, moderatore.

An ab esu leporum venustas?

788



V A cuique enti est à Deo, pulchritudinis omnis fonte, infusa nature sue conueniens polchritudo, diuinitatis radiis ac meræ bonitatis flos; cuius illecebris, quadam velut escâ, ipsa latens interius inueniens ad se trahit, & ad sui admirationem, venerationem & amorem rapit. Pulchritudo, rei cuiuscumque ad eum cui nata est finem perfectio, tribus tantum percipitur, mente, visu & auditu. His solis eâ perfrui nobis concessum est: quæ in Angelis, ordine Idearum; in animis, rationum & virtutum distinctâ serie; in naturâ, seminum copiâ & fecunditate; in vocibus atque sonis, harmoniâ; in visibilibus corporibus, formarum varietate; in humanis, partium ordine, symmetriâ, & specie (tribus in ente quolibet cuiusvis pulchritudinis fundamentis) quasi Dei simulachrum splendet: demum in facie, vt in suo & humane mentis, formarum omnium pulcherrimæ, throno morumque speculo, venustate fulget.



ARTIVM inter se conuenientia, figura, situs, quantitas, ordo, commensuratio, artidens colorum suauitas, tametsi pulchritudinem constituent, non sunt tamen illa pulchritudo; quæ potius ex eis conflata & exurgens aliqua delectabilis & incorporea qualitas est: cuius vt & sanitatis lætitudine cum magna sit, ac eadem vtriusque causæ, summa eius perfectio & gratia venustas est, à pulchritudine distinguenda. Tria sanitatis inculpatæ consecutaria sunt, *ἁλότης, εὐχία, ἀσθένεια*. Hinc pituitosis, biliosis & melancholicis, quibus imperfecta, fœdantur sæpe facies; quæ in sanguineis *λαοτῆρας καὶ ἀγλαῖα* sanguinem non minus gratiarum atque venustatis largitorem, quàm vitæ beatioris thesaurum testantur. Qualis humor intus, talis illius flos in vultu legitur, ni *ἁμολίς* extiterit.



TQVE vt lapillis & mineralibus, viuendi nutriendique facultate destituitis, accuratissima primorum corporum, duplici eâque summâ qualitate præditorum, permixtio quædam interior externum nitorem parit, cementium oculos, licet igneos, percellentem; herbas & arbores feminibus, *ῥιζοῖς* radicibus, mesenterij medullisque, cordis locum gerentibus, innata & succo idoneo fuscata fecunditas, florum atque foliorum pergratâ varietate, colorumque venustate veltit: ita in animalibus, non modo partium, omnium simul & semel ex concordî quatuor elementorum (suas in quolibet mixto virtutes elementum) visione, ab animâ ipsâ in vitro formatarum *συνμυετα*; sed post genitorum etiam humorum, vnicam in venis massam confluentium, *ὁμογενῆς* quatuor primarum qualitarum (quæ omnes positiuæ sunt & actiuæ) commoderatio, lineamentorum & colorum iucundâ promittit speciem.



I ANIMI simul & corporis pulchritudo summa conuenientia; hoc nature miraculum eò tibi licet mirari vehementius, quò virtutis atque formæ concordia rarior est. Si solus pulcher animus, ac velut alter Socrates rediuius tibi occurreret, hunc quoque mentis decorem, quia stabilis est demissis oculis reuerere. Vt figurâ, sic animo nihil senescit tardius; muliebri venustate nihil citius. Si sola facies; caue ne *ἀνὴρ ἀνδραγαθὸς, ἀνδραγαθὸς*; nubem pro Iunone amplectaris. Larua hæc non *κατασκευασμένη* medicinæ partis, sed *κατασκευασμένη* & mangoniæ, medico indignæ, artis factura est: quæ pigmentis & vnguentis cerussatis, variisque pilorum tincturis vndebeatilern tantum mortuæ pulchritudinis, quam ipsa exinguit sæpe, inuaginem exsufficit. Dogmaticus nature, sua opera *ὡς ἀνέμω* vt plurimum adornantis, sectator & æmulus est: natiuam vultus *ὡς ἑστὸς* non solum diligit, sed & nascentem suscipit, virentem rigat, florentem conseruat, marcescentem recreat, exulantem restituit, probâ victus lege, alimentis multi succi & optimi.



NIVERSA piscium natura frigidior & humidior est quàm vt probumatque copiosum sanguinem procreet: excrementosa est atque expedita putredini materia. Volatilium salubrior est, quæ tamen tenuius & parcius alimentum præbet. Terrestrium, vberius, firmissimum, quàm optimum. Inter quadrupes gloria prima lepus, pilosum animal & fecundissimum, prælongis auribus, cruribus breuib; & inæqualibus, cui vni pili & in buccâ inædis & sub pedibus sunt, pro corporis ratione cornaximû; vnde *ὁρῶντες αὐτὸν οἱ θεοὶ ἐκπλαστόν*. Ei vt cæteris animantibus varia penes ætatem temperies est. Vitorum quorumlibet animalium caro frigidissima est, siccissima, nemini propria; præterquàm leporum, apulissima pituitosorum esca. Nouellorum & adolefcentum (quorum præsertim *σῆλα* sapientia *ἄρμος*) carnes, sanguis, & interanea temperatissima, delicatissima, palato suauissima: ex quibus *ὁ κενὸς* ventriculo, iecori *ὡς ἑστὸς*, corpori *ὡς ἑστὸς*, vultui denique venustas succrescit alimentum. *ὡς δὲ ἔστιν ἡ φύσις τοῦ λεπίου ἀνθρώπου ὅτι ἐστὶν ὡς ἡ φύσις τοῦ λεπίου ἀνθρώπου*.

Ergo ab esu leporum venustas.

Proponebat Lutetiæ PETRVS YVELIN Parisinus, Anno R. S. H. M. DC. XXXIII.